

## CAPVT TRIGESIMVM

*De morte Sisebodi regis Hispania, & de  
missorio aureo, quem Sisenandus  
Dagoberto regi promiserat.*

**E**odem vero anno, quid partibus Hispaniæ vel eorum regibus contigerit, non prætermittam. Defuncto Sisebodo (r) rege clementissimo, cui Senticilla

(r) Sisebodo ] *Hausit hac monachus noster ex Fredegarii c. LXXIII: Habes etiam Aimoinus IV c. XXV. Sisebodo vero rege Vefigothorum in Hispania mortuo, non statim successit Senticilla, siue ut reliqui scriptores eundem adpellant, Suintilla, sed Reccaredus filius eius adhuc paruulus: Cum autem propter ætatem adhuc tenellam & regni breuitatem, quippe per aliquot tantum menses regnasse dicitur, nihil relatu dignum gessisset, ab Isidoro & Luca Tudensi, aliisque in catalogo regum non ponitur. Ponit vero Ioannes Vaseus in chronico regum Hispaniæ ad annum 621. p. 406. & Franciscus Tarapba p. 624. Suintilla vero Reccaredi I erat filius, & Sisebodi filiam habebat in matrimonio, qui post Reccaredum, II Rex electus. Hic primus omnium Gothici nominis regum expulsis profligatisque Romanis, Hispaniæ monarchiam consecutus est, ut ait Isidorus, qui eundem*

H dem